



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Responsio Ambr. contra Arianos de ingenito. D

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

ingenitus, ita ipse solus debeat dici non genitus, vel non filius: vt nec etiam Spiritus S. possit dici non filius, vel nō genitus? Quibusdā videtur quod pater solus debeat dici non genitus vel non filius: spiritus vero sanctus sicut non dicitur ingenitus, ita inquit, nō est dicendus non genitus vel non filius. Debet quidem dici & credi spiritus sanctus non esse genitus vel non esse filius, sed non debet dici esse non genitus vel nō filius. Aliis autē videtur quod cum spiritus sanctus nō possit dici ingenitus, potest tamen dici non genitus vel non filius. Quod autem August. supra ait, tantum valere cum dicitur ingenitus, quātum cum dicitur non genitus vel non filius, etymologiam nominis offendendo eum dixisse dicunt, non rationem prädicationis.

Opinio quorūdam.

Aliorum opinio.

Aug. c. 7. l. 5. de Trin.

Quæ sit proprietas secundum quam dicitur pater ingenitus.

Si autem vis scire quæ sit proprietas secundum quam dicitur pater ingenitus, audi Hilarium ipsam vocantem innascibilitatem in 4. li. de Trin. ita aientem. Est vnus ab vno, scilicet ab ingenito genitus, proprietate videlicet in vnoquoque & originis & innascibilitatis. Significata ergo in scripturis personarum intelligentia, & distincto innascibilitatis natiuitatisque sensu, solitarius Deus non est opinandus. Discretio ergo vel distinctio personarum in scripturis posita est, in nullo autem naturæ distinctio.

Ibidē paulo inferius.

Ibidem inferius.

Arriani nitebantur probare alterius substantia patrem, alterius filium, quia ille ingenitus, iste genitus, quibus respondens Ambrosius dixit se hoc nomen in scripturis non legis se diuinis.

Illud etiam taceri non oportet, quod Arriani ex eo nitebātur alteri⁹ substantiæ esse patrē, alteri⁹ filium, quia ille ingenitus & iste genitus dicitur: cum

cur
Vn
fei
tus
ni
qu
tus
se,
esse
illa
san
vel
qu
pos
stan
fio
tus
go
dic
scri
Nō
nia
no
ret
pre
le
qu
op
uin
ne
po
fit
qu
te
di

cum diuersum sit esse ingenitum, & esse genitum. Vnde Ambr. eorum quæstioni respondens, dicit se in diuinis scripturis hoc nomen, scilicet ingenitus, non legisse, ita inquit in libr. de incarnationis dominicæ sacramento, Cum dudum audierint quidam dicentibus nobis filium Dei, qui generatus est, patri qui genuit, inæqualē esse non posse, quamuis ille generatus sit, iste genuit: quia essentia vel generatio est naturæ: aduersus quidē illam quæstionem vocem sibi arbitrantur occlusam: sed tergiuersatione damnabili in eodē loco vestigium vertunt, vt putent mutationem huius quæstionis mutatione sermonis, dicētes, Quo possunt esse ingenit⁹ & genit⁹ vni⁹ naturæ atq; substantiæ? Ergo vt respondeā mihi propositæ quæstioni. Primo omnium in diuinis scripturis ingenitus nusquam inuenio, non legi, non audiui. Cui⁹ ergo mutabilitatis sunt homines huiusmodi, vt nos dicāt ea usurpare quæ non sunt scripta: tū ea quæ sunt scripta dicam⁹, & ipsi obiciāt quod scriptū non sit. Nōne ipsi sibi aduersantur, & autoritatē calumniæ suæ derogent? Attende lector, quoniam hoc nomine ingenitus nolebat vti Ambr. propter hæreticos. Ita & nos subterfugere quædam oportet propter calumniarum insidias, quæ catholicis ac piis lectorib⁹ securè credi possunt. Sūt etenim quædam quæ non tantæ sūt religionis & autoritatis, vt eis non oporteat semper confitendo ac recipiendo inservire, verum silentio aliquando præteriri queunt: nec illius tamen sunt peruersitatis, quin cum opportunum fuerit, eis vti liberum habeamus.

An diuersum sit esse patrem & esse filium. E

PRÆTEREA quæri solet, cum supra dictum sit quia aliud est dicere ingenitum, aliud patrē, & quod diuersum sit genit⁹ & ingenitus: verū similiter diuersum sit esse patrē & esse filiū, an idē? Ad quod dicim⁹, quæ ex eodem sensu quo dicitur diuersum

Cap. 8. in principio.

Aug. lib. 5. cap. 5.